



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis  
Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev  
De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo**

**Marca, Pierre de**

**Parisiis, 1669**

XII. Laudandi qui laborant in constituendis utriusque potestatis finibus ex  
mutua possessione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15591**

## 6 De Concordia Sacerdotij

versus sedem apostolicam, in Galliarum regno suscitetur. Tunc scilicet in Germania vigebat schisma illud quod Investiturarum prohibito excitarat, de quo superius locuti sumus.

XI. Piget referre famosam illam Bonifacij VIII. & Philippi IV. Francorum Regis concertationem: quæ adeo exarsit, ut Pontificis Regisque dissidio, et si nullo cum sede apostolica facto divortio, sit dehonestata. Sed si quis penitus mali causas introspicere velit, inde labem illam profectam sentiet, quod Summus Pontifex maiestatem Regis & Regni imminuere vellet, & ecclesiastice jurisdictionis ultra quam par est pomeria proferre. Cessatum est ab hac divisione, cura & studio Summorum Pontificum, qui constitutionibus illis, quæ juribus regni vim quandam inferebant, ita derogarunt, ut restitutione utrinque facta, res eo loco positæ essent, quo erant ante Bonifacij præjudicata sententiam.

XII. Itaque non abs re mihi præfatus esse videor, iis hominibus cumulatissimas laudes deberi à probis cordatisque viris, & pacis ecclesiastice amantibus, qui in id unum omnem laborem suum & diligentiam impendunt, ut fines utriusque jurisdictionis ecclesiastice & regiae ex mutua utriusque possessione constituant. Enimvero quia uno iœtu & latus petitur Libertatum Gallicanum, & consilium ejus qui duo illa volumina, que Libertates illas complectuntur, summo studio & indefesso labore collegit, necesse est ut in rem ipsam descendamus, & fundamenta quibus moles Libertatis Ecclesiæ Gallicanae innitur, diligentissime perscrutemur, simulque in illud inquiremus, an iis Libertatibus apostolicae sedis reverentia labefactetur, an portius foveatur. Quo peracto, tum demum aliquot capita expendemus, quorum usus est in foro quotidianus, & testimonio à Collectore nostro assertus. Vnde planum unicuique fiet, an consilio promovendi schismatis, an vero avertendi dissidiij, tot sudores huic collectioni ab auctore suo impensi fuerint.

### C A P V T I I .

#### Synopsis.

I. Divisio operis in tres partes.

II. Primum Libertatum Ecclesiæ Gallicanae fundamenum, supra sedis apostolicae auctoritas, ejusque communio.

III. Necesis communionis breviter attingitur, ad refellendam impostoris calumniam.

IV. Origo communionis & unitatis in Ecclesia Romana, ex Cypriano, & Optato, quorum genuinus sensus expenditur.

V. Quos secuti Hieronymus & Gelasius.

VI. Hanc communionem ut necessariam Galli retinuerunt, ex Ireneo, & Avito.

VII. Duplici vinculo astriti: tum quia Summus Pontifex est Caput Universalis Ecclesie, ex Conciliis Aquileiensis & Chalcedonensis; tum quia Patriarcha Occidentis.

I. **T**RA sunt potissimum quæ in ipsis Dissertationibus demonstranda mihi proposui. Primum est, Ecclesiæ Gallicanae Libertatem eo præcipue fundamento nitit, ut supremam apostolicae sedis auctoritatem & profiteatur & omnibus officiis colat. Alterum, auctoritatis illius usum à Pontificibus apud nos ita semper temperatum fuisse, ut & de summa Pontificis auctoritate nihil decesserit, & iura Regni Ecclesiæque Gallicanæ vim suam obtinuerint, in id semper admittentibus Regibus, ut in disciplina ecclesiastica & sacris Coronæ Regia juribus conservandis paria facerent. Postea vero, quæ adhuc generalius paulò & παχυερῶς fuerint asserta, adeo vera esse docebimus, ut Ecclesiæ Gallicanae deinceps suggillardæ nullus omnino relinquatur locus.

II. Hostes Ecclesiæ, & Gallici Imperij æmuli, atque etiam quamplurimi homines minimè mali, sed in usu rerum parum versati, & antiquitatis ecclesiastice imperiti, nomen ipsum Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ detestantur, quasi apertam ab Ecclesia Romana defectionem, blasphemie proximam, inducat. Hi ex equo & Romanae Ecclesiæ injuriosi sunt, ac si Libertatem omnem aversata, defpotica quadam vel potius tyrannica potestate jura omnia infringeret; & Ecclesiæ Gallicanæ pudorem onerant, quasi Libertatis cuiusdam retinens esse non possit, & simul pietate debita matrem suam prosequi. Itaque ut omnibus fiat satis, liquido & secundum sententiam meam omniūque Gallorum asserto, præcipuum primumque libertatis ecclesiastice fundamentum apud nos hoc esse, ut principatus apostolice sedis suum locum semper obtineat. Etenim cum Ecclesiæ Gallicana inter præcipua & illustria Ecclesiæ Universalis membra censeatur, totius vero corporis Caput in Ecclesia Romana sit constitutum; fieri non potest ut verè Ecclesiæ Libertatibus fruatur, nisi Capitis hujus communioni inserta sit. Retineri autem communio illa non potest, nisi officiis illis Caput excolatur quæ principatu apostolicae sedis nemo fanus unquam negaverit. Docendum itaque est, Gallos ab ipsis Ecclesiæ primordiis usque ad nostram ætatem & communionis ec-